

# I N D I A.

**N**obilissimam totius Orbis terrarum partem I N D I A M esse, neque maiorem Regionem vno nomine compræhendi, omnes ferè scriptores vnanimiter produnt. Ab I N D O flumine nomen habet. Indiæ spatium, ex Strabone & Plinio, intra Indum ab Occasu; à Septentrione Tauri iugis; ab Ortu Eoo pelago; à Meridie suo, hoc est, Indico, clauditur. In duas Regiones, Gange flumine interluente dirimitur: quarum altera, quæ Occidentalis est, intra Gangem dicitur: altera ad Orientem magis, extra Gangem cognominatur. In Sacris voluminibus illam Euilat: hanc Seriam vocitatas legimus, Dom. Nigro teste. M. Paulus Venetus eam videtur in tres diuidere, in Maiorem, Minorem, & Intermediam, quam Abasiam vocari dicit. Hæc non gentium tantum, atque Oppidorum propè innumerorum, sed omnium rerum prouentu (ære tantum & plumbo excepto, si Plinio credimus) felix: flumina cum plurima, tum maxima: quorum irriguo prokursu fit, vt in vdo solo, proximantis Solis vis, nihil non magna quantitate gignat. Aromatibus, gemmisque, quibus præ omnibus aliis mundi Regionibus affatim abundat, totum ferè Orbem implere videtur. Multæ illi contiguæ sunt Insulæ hinc inde in suo Oceano sparsæ, aded vt meritò Orbem Insularum dicere quis posset. Imprimis in eo est Iapan, M. Paulo Venet. Zipangri dicta; quæ quoniam paucis abhinc annis haud multis cognita fuit, de ea hinc nonnihil dicere visum fuit. Insula est latissimè patens, cæli eandem ferè elevationem cum Italia habet. Incolæ Religioni, litteris, & sapientiæ sunt additissimi; & veritatis indagatores acerrimi. Nihil illis frequentius oratione, quam more nostro sacris in Delubris exercent. Vnum agnoscunt Principem, à cuius Imperio & nutu pendent; Sed & hic sibi supremum habet, Voo illis dictum; penes quem summum est rerum Sacrarum, & Religionis Imperium; hic fortasse nostro summo Pontifici, ille Imperatori nostro assimilari posset. Huic plebs animarum suarum salutem credit. Vnum tantummodo D E V M adorant, triplici capite effigiatum, cuius nullam tamen reddere norunt rationem. Infantes apud hos baptisantur: ieiuniis in pœnitentiæ testimonium corpora macerare student: Crucis signaculo contra dæmonum insultus, vt nos, se muniunt: aded vt in Religione, & viuendi more Christianos imitari videntur: quos tamen, Societatis I E S V professores, maximis laboribus in totum Christianæ Religioni imbuere satagunt. Sunt & Moluccæ Insulæ, aromatum fertilitate celebres, & in illis auicula Manucodiatta (quam nos Paradyfi aurem vocamus) nobiles. Est & Sumatra (olim Taprobana) Insula veteribus nota. Sunt plures aliæ; vt Iaua Maior & Minor, Borneo, Timor, &c. quas in Tabula videre licet. Has Indias ex veteribus decantati magnis laudibus sunt, Diodorus Siculus; Herodotus; Plinius; Strabo; Q. Curtius; & Arrianus in vita Alexandri Magni. Extat & epistola Alexandri Magni ad Aristotelem de situ Indiæ.

Ex Recentioribus Ludouicus Vartomannus; Maximilianus Transsylvanus;  
Ioannes Barrius, in suis Asiaticis Decadibus. Sed vide etiam Iesuitarum  
epistolas, in quibus multa ad cognitionem Insulæ Iapanicæ faci-  
entia obuiam occurrunt. Scripsit & Ioannes Macer Iurif-  
peritus Indicarum Historiarum libros 3.





PER SUE SOCIETATIS FELICITATEM

ORMVTII REGNYM

ARABIAE FELICIS PARS.

OCCIDENTIS



INDIAE ORIENTALIS, INSULARVMQVE ADIACENTI VM TY PVS.



Insula Molucca ob maximam aromatum copiam, quam per totum terrarum orbem transportant, sunt, iuxta Gublo ferunt, s. iuxta Tidore, nempe, Machia et Bachian.

NOVA GVINEA quam Andreas Corsalius Terram Piccinaculi appellare videtur. An insula sit, an pars continentis Australis incertum est.

Cum Privilegio.

OCCIDENTIS

SEPTENTRIO

MERIDIES

Map labels include: Dalanguer mons, CARDANDAN, Naugracot mons, Vfontem mons, MARE CIN, MANGI que et CIN, CHINA, JAPAN, OCEANVS, Tropicus Cancr, ORIENTALIS, Golfo di Bengala, CAMBATA, MANDAO, ORI XA, VERMA, BREMA, CAM, BORNEO ins., IAVA MAIOR, BEACH, pars continentis Australis, MERIDIES, and various island names like Sumatra, Java, Celebes, and the Moluccas.



